


ELENCHVS AVCTORVM
QVORVM SERMONES IN HAC
Concionatoria Bibliotheca reperiuntur.

*In quo, abhibito breui cuiusque Patris encomio, editionum,
 quæ ad hoc perficiendum opus præ manibus fuerunt,
 tempus & locus notantur.*

A

SANCTVS ADELIVS, siue Adelmus, aut Ædelmus, alijs Antelmus & Æthelmus. Multis Aelredus Anglus Ordinis Cisterciensis, Abbas Rhieuallensis Diocesis Eboracensis. Aulam spernens Regiam saculo renuntiauit. Vir pietate & eruditione insignis & in componendis bellorum tumultibus non mediocri industria. Obijt Henrico 2. regnante in Anglia anno salutis 1166. ætatis suæ 57. *Multa edidit opera quæ Centuria 2. Scriptorum Anglia num. 99. recensentur. quedam extant typis donata Parisijs anno 1520. à Iodoco Badio, & postea apud Sebastian. Niuellium, anno 1574. Nonnulla refert Surius in vitis Sanctorum. Indubia verò creduntur quæ nuper habemus à R. P. Richardo Gilloni Societ. Iesu Theologo. excussa Duaci apud Gerardum Pinchon, sub signo Coloniae. Anno 1631. in 4.*

S. AGOBARDVS Agobo dictus, Ecclesie Lugdunensis Episcopus, natione Gallus, Leidradi Norici in Episcopatu successor. Vixit anno 833. de quo Martyrologium Lugdunense 8. Idus Iul. Vita Ludouici pij incerto auctore, Chronicon monasterij SS. Petri & Pauli ad fontem Besui amnis. Ado ad ann. 810. 815. *Eius opera impressa exant Parisijs apud Dionysium Duallium 1605. in 8.*

B. ALBERTVS MAGNVS in agro Luuingeni Sueuiæ, ex Regulis Bolstutensibus natus, professione Dominicanus, ob insignia ingenij ornamenta verbo & scripto prodita, magnus appella-

tus, floruit Parisijs ad annum 1257. Discipulum habuit Angelum doctorem, Episcopus Ratisbonensis creatus est sub Urbano 4. & Rodulpho Imperat. Obijt Colonia Agrippina inter fratres anno 1280: ætatis verò 87. *Plurima scripta quæ nuper Lugduni prodire. Tomis 21. anno 1651. in fol.*

ALBINVS FLACCVS ALCIVIVS à quibusdam Leuita dictus, natione Anglus, Bedæ Venerabilis discipulus, Ordinis S. Benedicti Monachus Londini in Cœnobio S. Petri, à Carolo Magno in Gallias euocatus, S. Martini apud Turonenses Abbas factus, ipsius Regis præceptor, doctrina ac sanctitate conspicuus obdormiuit in Domino Turonis 14. Kalend. Iunij. Claruit circa annum 780. *Edita sunt eius opera Parisijs ann. 1617. apud Sebastianum Cramoisy in fol. & 1610. Tom. 1. Auctarij Biblioth. Pat.*

AMALARIVS FORTVNATVS Treuirensis, vel ut placet Honorio Augustodunensi Metensis Episcopus, pro Codicum varietate Amelarius, Atularius, Amularius, Amilarius, & Hamularius nominatus. Floruit anno 840. *Eius opera habentur Tom. 1. Auctarij Biblioth. Pat. Parisijs 1610. in fol.*

S. AMBROSIVS Mediolanensis Episcopus, Ambrosij Patricij Romani, Galliarum Præfecti filius, in Gallijs genitus, vir eloquentissimus, Sanctæ Ecclesie Doctor, ac omni virtute præditus. Claruit sæcul. 4. Obijt ann. 397. *Opera eius excusa extant Parisijs 1614. in fol. Tom. 5.*